


Cricius Andr. Threnodia.

Cracoviae 1531.


V
B
3
C



THRENODIA
VALACHIÆ,



Operuit confusio faciem meam.
Psal. 68.

Cracouiæ apud Hie. Viet. M.D.XXXI.

CLARISSIMO HEROI IOANNI

Comiti de Tarnow, Palatino Russiæ, ac
summo exercituum regni Imperatori
Cri. Epi.

Cum nuper ex dolore dentium paululum domi decumbere, quærenti qui dolore suo dolorem meū leniret, quæ societas multū iuuat in aduersis, obtulit sese Valachia, quæ suas erumnas mecū deplorans, uniusq; diei tantum contubernio me demulcens, hanc suam apud me Threnodiam sic ex tempore effusam reliquit. Si sic sapiat domi ut sapuit apud me, et ut fama fert, est quod a nobis ex re communi paulo sit longius prospiciendum. Id quicquid est muneris, tibi heros clarissime, et me una mitto, ac ex animo commendo.

THRENODIA VALACHIÆ,

Illa ego Romanæ memoranda colonia stirpis
Ad Ponti deducta sinus, qua parte timenda
Semper erat Scythico nostrorum ex hoste ruina,
Hac tenus hoc tutata solum, mirabile dictu,
Non uirtute modo Latia, sed & arte Pelasga
Inter tot populos, tot maxima regna, tot hostes
Exiguo conclusa solo gens pauca, peregi
Sæcula multa, meo multa & discrimina marte
Incolumis uici, quæ mater uincere Roma
Non potuit, toties Scythicis uastata cateruis,
Parte alia effusis, totumq; prementibus orbem.
Quos ego sustinui, repuliq; a finibus Histri,
Nec repuli tantum, sed & agmina plurima fudi.
Et postquam miseros uesana licentia Græcos
Impulit in præceps, Turciq; subesse coegit
Imperio, quoties uicina potentia tanta
Me quoq; tentauit letali extinguere ferro:

Exigua quam sæpe manu propellere nobis
Contigit, innumeras & debellare cohortes,
Nec nisi condicto potui succumbere censu.
Vt taceam nostris quantum sit cæsus in oris,
Pannoniæ quondam rex Carolus Hesperiæq;
Dum nos aggreditur ferro belloq; lacessit.
Quid mihi non struxit Matthias gloria Martis,
Cuius erat toto uis formidabilis orbe,
Qui tot multiplici claros ex hoste triumphos
Egit, subiecitq; iugo tot regna, tot urbes.
Hic tamen ex nostris uix fugit saucius oris.
Quid memorem Alberti turmas, regniq; Poloni
Inuictas acies, quanta cum clade suorum
Exactus per me, quanta & dispendia cœpit?
Quid reliquos, nunquam bellum qui impune dederunt?
Et licet interdum subieci huic colla, uel illi,
Arte tamen factum, quando hunc contundo per illum
Vnde suam reputans, potuit sed uincere nemo,
Nemo fide tuta sibi me seruire coegit.

Aut ullum potuit pugnando referre trophæum.
Me miseram, quo nunc adigor, quo Marte uicta sum
Sternor, ut ad templum portantur signa Polonum,
Vtq; simul captiua trahor, tormenta trahuntur,
Quæ quondam e Turcis, Germanis, atq; Polonis
Victrici mihi parta manu, spectacula uulgi
Nunc subeunt, uersam testantur & omnia sortem
Quæq; prius tantos Reges, populosq; potentes
Vici, Tarnouio heroa uincor ab uno,
Vno inquam, & modicis uincor numerosa cateruis.
Adnumerorq; tuis alijs SISMVnde triumphis,
Tanto maiori fortuna, & laude perhenni,
Quanto alijs minus id potuit contingere, quanto
Plus tibi fraterna pœnas pro clade rependo.
Quam sapis inclyte Rex, dignos qui rebus agendis,
Præficis, ante tuæ nunquam tam spicula gentis
Confixere meos, quam nunc, at grex fuit idem,
Cum pastore nouo, sed grex mutatus & ipse.
Nunc mihi quid superest? tantum si pergis atroci

Mitte me miseram, diris & perdere flammis
Quam genus in Turcas nostrum, nostrosq́; penates
Mutare, & priscum Moldaui extinguere nomen,
Vicinumq́; tibi peiori sorte locare.
Maiores quæ damna tui uitare solebant.
Te rogo per superos, tua per clementia corda,
Quæ semper patuere alijs sine crimine uictis,
Erumnas attende meas, commune reuolue
Christigeni populi discrimen, & aspera fata,
Non te permoueant Vaydæ periuria nostri,
Non mens insanis nata ac obnoxia factis,
Mercedem acceptura suam pro talibus ausis.
Me uictam merito fateor, uictamq́; sagaci
Et rara uirtute Ducis, uirtute tuorum,
Sum spoliata meis spolijs, armisq́; uirisq́;
Et uastata nimis regio mea tota fatiscit.
Nunc mihi non limosa palus, non inuia sylua,
Non artes, solitiq́; doli, non grandia prosunt
Tot premissa, mihi clam succendentia bellum.

Ad te confugio Rex inuictissime, uictas
Et tibi trado manus, miseræ iam parce iacenti
Et plebi innocuæ, si te uesana tyranni
Facta mei lædunt, me lædunt non minus illa.
Atq́; utinam cures hoc me extricare capistro.
Vt tibi perpetuo mea gens pro munere tanto
Seruiat obsequio, semper tua iussa sequatur.
Non tibi, nonq́; mihi, melius succurrere posses,
Aspicis interno ruit ut gens Vngara bello,
Vt parat immani sua tradere colla tyranno
Dissidijs heu cæca suis, ratioq́; salutis
Nulla est communis, quando hic ulciscitur illum.
Quare age maxime Rex communi intende saluti.
Non ego quæ mereor, sed quæ sunt commoda spectes.
Sic tibi succedat multos post filius annos
Fortuna & uirtute pari, qua præsit & orbi,

De Insignijs ipsius D. Comitis.

Signatur stella cælesti Iulius ingens
  Qui Dux Romanæ clarior urbis erat.
Te quoq; stella micans inter duo cornua lunæ
  Quod geris antiquæ nobile stemma domus.
Denotat esse ducem, quo maior nemo sub arcto,
  Et quod stella notat, Martia facta probant.



